Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8266
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Vide nunc secundum et dei iudicium iustum.
Sic enim ozias prolongato numero gene-
racionum minus malus extiterat certis
ex generacione maledicta provenientibus: non
tamen prosperus fuit. quia adhuc aliquid ha-
buit generacionis illius. Sic et deus non eum
precisit de numero regum. quia fecit quod
placitum est deo: percussit autem eum lepra.
propter iactanciam eius ut domini sederet.
ut videretur non de minimo generacionis xpisti pre-
cisus. sed fructu regni ex parte fraudatus.
Ozias autem genuit Joathan: Joa-
than interpretatur perfectus vel domini
inmaculatus. Et nunc perfectus fuit
hic Joathan: et quantum ad reges se precede-
tes: dominus inmaculatus. quia fecit quod placi-
tum erat deo. et nulla reprehensio eius
legitur.
Ioathan autem genuit achaz. Achaz autem
interpretatur firmamentum domini. aut virtutis.
Joathan enim cum esset rectus et fidelis
deo: firmamentum suum et virtutem credens
dominum esse. a quo et fuerat prosperatus in regno:
quasi confitens firmamentum suum et vir-
tutem esse dominum. vocavit filium suum achas
firmamentum domini vel virtutem. Ille autem
non fuit firmamentum domini: neque virtus.
Nec enim firmavit eum deus in bono:
sed dyabolus in malo qui fuit dominus eius
Nam valde impie gessit in deum. sicut
testatur scriptura regnorum. et paralipomenon.
Quod ergo appellatus est achas fir-
mamentum domini vel virtus: religionem
quidem patris eius ostendit. ipsius autem
duriciam cordis. Qui sicut a conversa-
cione patris sui est longe: Sic et a pro-
prietate nominis sui se ipsum precidit. Non forte
quod apud esayam prophetam positum est hic memorare:
Et factum est in diebus achaz filii Joathe

regis iude: ascendit raason rex syrie:
et facee filius romelie rex israel ad ierusalem ex-
pugnare eam et non potuit debellare eam:
Et annunciatum est in domo david dicentes:
Consensit syria cum effraym et expavit anima
eius: et anima plebis eius. sicut in silva arbores
a vento commoventur: Et dixit dominus ad esa-
yam: Exi in obviam achaz: tu et qui sub
relictus est iasub filius tuus. ad piscinam
superioris vie ville fullonis et dices ei:
Vide ut quiescas et noli timere: neque
anima tua langwescat a duobus ticionibus
fumigantibus istis: Cum ira furoris mei
facta fuerat: iterum sanabo. Quoniam filius aram.
et filius romelie. qui cogitaverunt cogi-
tacionem pessimam dicentes: Ascendamus
in iudeam et colloquentes eis convertemus
eos ad nos. et regem statuemus eis filium
tabehel: Hec dicit adonay dominus sabaoth:
non manebit cogitacio ista: neque sic fiet.
Et forsitan sic confortatus achaz. cum genu-
isset filium. vocavit nomen eius ezechias: e
Ezechias autem interpretatur confortavit dominus: ezechias
Vere impleta est in ezechia confortacio
domini. qui animi extitit sanctus super omnes
reges qui fuerunt ante eum: Nam ut cetera
bona sileam que merito prestitit ei deus. cum mi-
sisset ad eum sennacherib rex assiriorum rap-
sacen principem milicie sue: et libellum pro
plenum iniuriis et blasphemiis contra dominum.
sicut exponit Esayas propheta: Ezechias ac-
cepit libellum illum: et ingressus in templum
aperuit ante dominum et oravit: Et confestim
missus est ad eum esayas propheta. annuncians
ei protectionem dei. et confortans eum. Et
exiit ad preces ezechie angelus a facie domini.
et percussit in castris assyriorum centum octo-
ginta quinque milia virorum: Qualia autem
fuerunt verba rapsacis. vel qualis oracio